Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

esset generationis. et omnes homines dum se ab uno et unum esse cognoscerent. omnes se quasi unum amarent. Quare mulier de uiro facta est et quare de latere. xxxiiii.

Postea uero in adiutorium generationis de ipso uiro mulier facta est. quoniam si aliunde fieret. unum profecto omnium hominum principium non esset. Facta est autem de latere uiri. ut ostenderetur quia in consortium creabatur dilectionis. ne forte si fuisset de capite facta. preferenda uideretur uiro ad dominationem. aut si de pedibus. subicienda ad seruitutem. Quia igitur uiro nec domina nec ancilla parabatur. sed socia. nec de capite. nec de pedibus. sed de latere fuerat producenda. ut iuxta se ponendam cognosceret. quam de iuxta se sumptam didicisset.

Sane dormienti uiro potius Quare dormienti costa abstracta est. xxxv. quam uigilanti costa de qua mulieris corpus fabricaretur subtracta est. ne in eo penam aliquam sensisse putaretur. et diuine simul potentie opus mirabile probaretur. quod hominis dormientis latus aperuit. et eum tamen a quiete soporis sui minime suscitauit. Quantum uero pertinet ad spiritalem intelligentiam. ideo primus adam dormiendo materiam unde illi sponsa crearetur de latere suo prestitit. quoniam secundus adam per eam in cruce somno mortis soporatus ut sponsa illius ecclesia formaretur sanguinem cum aqua de latere fundendo sacramenta ministrauit. Porro quod de costa uiri mulieris corpus factum dicitur. ita intelligendum est. ut de sola ipsius coste substantia sine omni extrinseco additamento per diuinam potentiam in semetipsa multiplicata idem corpus factum credatur. eo sane miraculo. quo postea de .v. panibus in manibus ihesu celesti benedictione multiplicatis .v. hominum milia satiata. De .vi. modis operandi.

Sane est. sex sunt opera quibus omnia que fiunt ad effectum perducuntur. xxxvi.
Primum opus est de nichilo aliquid facere. secundum opus est de aliquo aliquid